

PRO SANCTISSIMO
LIBRO CHRISTIANÆ
CONCORDIÆ
DISPUTATIO QUARTA

De Libero arbitrio.

QUINQUE CAPITVM.

1. Origo & constitutio certaminis de libero arbitrio
2. Confirmatio ex scriptura pro negativa liberi arbitrij in spiritua-
libus.
3. Confirmatio ejusdem negativæ ex nostrarum Ecclesiarum scriptis
4. Quomodo homo convertatur ad Deum
5. Falsarum opinionum de lib. arb. rejectio.

Habita

A SALOMONE GESNERO S. THEOLOGIAE
Doctore & Professore in Academia Vitebergensi

Respondente

M. IOHANNES PHILIPPO HEILBRUN-
nero, Lauincano

XV. Septembris Anno 1593.



WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mullerj,
Anno M. D. XCIII,

REVERENDIS ET CLARISSIMIS
viris.

DN. PHILIPPO HEIL-
BRUNNERO, S. SANCTÆ THEOLO-
giæ Doctori & Professori in illustri schola La-
uingana ad Istrum, fidelissimo &c.
parenti.

Nec non

DN. IACOBO HEILBRUNNERO, S.
Sanctæ Theologiæ Doctori, Illustrissimi Principis
PHILIPPI LUDOVICI Neoburgici &c.
concionatori aulico, dignissimo
patruo.

Dominis suis omni observantia
ac reverentia colendis,

D. D. D.

M. Ph. Heilbrunnerus
F. & N. Resp.

CAPUT PRIMUM.

Origo & status controversiæ de libero arbitrio.

Thesis I. ἀφορμή.



Vod hæc controversia de libero arbitrio in forma concordia repetita & explicata fuit, causæ potissimum sunt duæ. Vna quod ea de re in hunc usq; diem cum pontificijs disceptatum est. Altera quia inter Augustanæ confessionis professores de viribus humanis quantum ad conuersionem attinet suborta dissensio.

II. κατάσασις.

Proinde de libero arbitrio nunc erit differendum. Ac vt ed clarior sit tota disquisitio, rem istis capitibus complectemur. Primum statum controversiæ suis terminis & metis circumscribemus. Deinde quod in spiritualibus nullæ sint liberi arbitrij vires ex scriptura demonstrabimus. Tertio idem ex orthodoxis nostrarum ecclesiarum libris asseremus. Quarto quomodo se habeat hominis regeneratio & ad Deum conuersio declarabimus. Deniq; falsas opiniones de libero arbitrio refellemus.

III.

Ad statum controversiæ definiendum duo sunt necessaria. Primo scire nos oportet τὸ πρὶ ὄυ seu τὸ ὑποκείμενον γένος genuinum & proprium subiectum ἀντιλογίας, deinde ipsa τὰ ἀντιλεγόμενα & τὰ ἀμφιβεβητάμενα.

IV. ἐξάρθμωσις.

Vt subiectum investigemus considerandus est homo in quatuor statibus seu conditionibus. Primum aliter se habet homo in statu integritatis: Secundo aliter se habet post lapsum & in ipsa regeneratione: Tertio alia cōditio hominis regenerari: deniq; alia quoq; conditio hominis futura est in vita æterna.

V. ἀφάρεσις τῶν μὴ ζητημένων.

Quid potuerit homo in statu integritatis ante lapsum, in controversia non est: quæ sint eius vires in æterna vita futuræ similiter in disceptationem non venit; neq; de hominis renati & à spiritu sancto reparati & adiuti facultate hoc quidem loco inquiritur.

VI. τὸ πρὶ ὃ δέξις καταφατικῶς.

Id vero in quæstionem venit, quid possit homo non renatus,

A 2

tus,

tus qualis est à parentibus suis editus & peccato Originali contami-
natus. Talis igitur homo in peccatis conceptus & natus, & à
Spiritu S. nondum illustratus, quid valeat idipsum quæritur: &
hic homo nondum renatus, dum vel ante vel in ipso actu con-
uersionis est, sit ὑποκείμερον γενος.

VII. τὸ κατ' αὐτὸ λεγόμενον.

Ex parte subiecti determinata est controuersia: iam porro
ut ex parte prædicati etiam rectè percipiatur, actiones distinguē-
dæ sunt.

VIII. ἐξαρίθμησις τῶν πράξεων.

Tria proinde sunt actionum humanarum genera. Nam cum
anima hominis duas complectatur præcipuas facultates, quarum
vna est ἄλογος ratione destituta & cum brutis cōmunis, nutritiua
nimirū & sensitiua, ac motiua facultas: altera est λογιστικὴ rati-
one prædita: in infima illa facultate animæ insunt actiones, qua-
rū finis est τὸ ζῆν viuere: ex altera facultate, q̄ est ratio duplices
actiones promanāt: vnum genus spectat τὸ ἐν ζῆν, vt hic in hac ter-
rena cōuersatione & ciuili societate bene viuamus, doctrina mē-
tem, honestate morum vitam instruamus & exornemus. Alte-
rum genus cœlestia & vitam æternam respicit & actiones spiri-
tuales complectitur.

IX. ἀφαίρεσις τῶν μὴ ὄντων ἐν ἀπορίᾳ.

De naturalibus & ciuilibus actionibus hic quæstio non est,
sed de spiritualibus solummodo, et rogatur quid homo in spi-
ritualibus possit præstare.

X. τὸ κρινόμενον.

Hic itaq; verus & vnicus est status controuersia: Quid HO-
MINIS NONDVM RENATI τὸ λογικὸν INTEL-
LECTVS & VOLVNTAS IN IPSA CONVER-
SIONE & REGENERATIONE ex proprijs suis & post
lapsum reliquis viribus præstare possit; quando videlicet verbū
Dei prædicatur & Dei gratia nobis offertur. Hic quæritur, an ho-
mo ad gratiam Dei apprehendendam sese applicare eam ample-
cti & verbo Dei assentiri possit.

XI τὰ ἀντιλεγόμενα ψευδοδόξα.

De hoc κρινόμενῳ duæ inter se partes concertarunt. Vna
pars κατ' ὑπερβολὴν in dando & affirmando de viribus humanis
modum excessit: & dixit: Etsi humana mens post lapsum Deū
Deiq; voluntatem non satis intelligit, humana voluntas diuinę
legi non plenam obedientiam præstare potest: tamen id adhuc
in homi-

in homine reliquum est, vt aliquomodo se ad gratiam Dei præparare, applicare, assentiri languidè tamen possit. Altera pars in auferendo & negando nimia fuit & in defectu κατ' ἄλλωσιν à scopo recessit. Enthusiastæ enim dixerunt, quod Deus hominè immediate sine adminiculo verbi & vllius instrumenti creati arcano raptu & inspiratione convertat & ad salutarem agnitio- nem Christi pertrahat.

XII. ἡ ορθοδοξία ἐν τῇ μεσότητι.

Contra vtriusq; partis corruptelas veri doctores Augustanæ confelsionis constanter asseuerant. Hominem qua- lis nunc est post lapsum extremè corruptus, in spiritualibus & sui conuersionem æternamq; salutem concernentibus rebus ce- cum, stultum & hostem Dei esse, & non modo nō intelligere Eu- angelij mysterium, sed vt rem stultam insuper ludibrio habere & vehementer odisse ac auersari, mera autem Dei gratia & vnica spiritus sancti operatione per verbum & sacramenta ad agnitio- nem Dei conuerti, fide donari & ad æternam salutem adduci 1. Cor. 2. v. 14.

CAPUT SECUNDUM.

Continens firmas & immotas demonstrationes negatiuas aduersus liberi arbitrij assertores & eos qui in excessu peccant.

I. Thesis.

Vt autem vera sententia rectius intelligatur, & errores ab v- traq; parte cautius & circumspectius vitentur: ideo eandem du- pliciter tuebimur: ac primo quidem illis, qui libero arbitrio a- liquod peculium asserere voluerunt & σωεργισμὸν introduxe- runt, opponemus hanc negantem, quæ sic habet.

II.

In rebus spiritualibus quæ conuersionem fidem & salutem concernunt, nullum est hominis nondum renati liberum arbi- trium.

III.

Eam propositionem sequentibus demonstrationibus tribus ita muniemus vt portæ inferorum contra prævalere nequeant.

IV.

Quod vt eo commodius fieri possit, primum de libero arbi- trio, quid illud sit paucula dicenda sunt.

A 3

Liberum



V.

Liberum arbitrium τὸ ἐκείνου vel αὐθεξείνου philosophi nominarunt, ab illis Theologi mutuati sunt. Est autem facultas animæ humanæ in intellectu & voluntate, qua mens quid sit Deus & qualis sit, quæq; eius voluntas intelligit, voluntas rationis iudicio secundum præscriptum divini verbi cupidè & alacriter obtemperat, omniaq; corporis membra verbo divino conformia reddit.

VI.

Nam de ἐκείνου in rebus naturalibus aut civilibus iam non loquimur vt supra ostensum.

VII.

Liberum igitur arbitrium est conformitas divinarum facultatum in homine, ex quibus reliquæ vires animæ & corporis omnes dependent cum divina voluntate: in mēte quidem lux sapientiæ divinæ in voluntate alacritas obtemperandi Deo.

VIII.

Quo significatu liberum arbitrium cum imagine Dei in homine & cum iustitia originali planè coincidit: etsi alioquin, si generaliter vocabulum liberi arbitrij sumamus, vt etiam Philosophi vsurparunt, non nihil discrepare videatur.

IX.

Quibus expeditis hæc est orthodoxa sententia post lapsum in homine ad spiritualia nullum est reliquum liberum arbitrium.

X.

Primam demonstrationem scriptura ducit ex defectu omnium nostrarum virium & ita concludit.

Vbicunq; deest omnis Dei & rerum divinarum vera cognitio, item promptitudo & alacritas Deo obtemperandi: & contra adest horrenda cæcitas & ignorantia rerum spiritualium, & aversio voluntatis à Deo, ibi nullum est liberum arbitrium. Quia liberum arbitrium nihil est aliud, quam vera Dei agnitio in mente & genuinus Dei cultus in voluntate.

Sed homo post lapsum quoad mentem, Deum & res divinas non agnoscit, sed plenus est tenebrarum ignorantiae & inscientiæ de Deo: itemq; cor & voluntas eius non obtemperat, sed repugnat legi & verbo Dei.

Ergo post lapsum ante regenerationem nullum omnino habet liberum arbitrium in rebus spiritualibus.

X I.

Si quis obijciat hominem nihilominus in ista naturæ depravatione aliquid rerum diuinarum intelligere, quod sapientium scripta testantur, is contra sciat eam noticiam multis modis esse imperfectam & esse dubiam: assensum vero nimis languidū. Atq; idcirco licet hominibus pulchrè sapere videantur, qui ex ingenij sui acumine aliquid de Deo prodiderunt, tamen quia id ipsum ἀπισία contaminatum est, idcirco Deo displicet Hebr. 11.

X II.

Partes demonstrationis duæ fuerunt, quæ libet seorsim probanda scripturarum testimonijs & orthodoxorum suffragijs. Et primum quidem quod in mente nihil reliquum sit veræ agnitionis Dei id sequentia scripturarum testimonia evincunt.

X III.

Primum Apostolus Paulus 1. Cor. 2. 14. constantissime id ipsum negat. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim illi est: quia spiritualiter dijudicantur.

X IV.

Quod si quis dicat, Paulum de Atheis & contemtoribus Dei solummodo loqui, qui nulla prorsus cura rerum diuinarum afficiuntur, ei obstat indeterminatum ὑποκείμενον: Animalis homo, Non ait impius & ἄθεος homo, sed ψυχικός, qui est anima rationali præditus, qualis quisq; a parentibus est genitus: Omnes enim sumus ψυχικοί, tū quod gestamus corpus ψυχικόν, spirituali oppositum 1. Corinth. 15. 44. rum. quod sensus carnis nostræ & sapientia terrestris ψυχική & diabolica Iac. 3. 15.

X V.

Quod mysteria divina penitus peruestigare & perscrutari nequeat animalis homo, id concedo inquis: Sed quod nihil rerum diuinarum capiat, id non largior. Quare expende mihi quæso verba Apostoli & cogere profecto cōcedere, quod ἀπόφασις Paulina sit καθόλου nullamq; cognitionem rerum diuinarum animali homini residuam faciat.

X VI.

Primum non dicit ἀναδέχεται vel ἐπιδέχεται vel καταδέχεται, vel προσδέχεται, vel simile quippiam, quo plenam perceptionem & intellectionem denotare voluisse videri posset, sed simpliciter οὐδέχεται non est idoneum receptaculum δοχῆ & δοχῶν spiritus & rerum spiritualium homo ψυχικός non est δεκτικός.

τις δὲ noticiae divinae, qua quidem voce non modo omnis perfectio divinae cognitionis homini animali detrahitur, sed ipsa quoque δάωμις & inchoatio eripitur. Id quod mox altera voce declarat, cum ait: non potest cognoscere: Quod si animalis homo non est δεκτικὸς rerum spiritualium & non potest γινώσκειν. Ergo ex sese ne inchoare quidem valet divinarum rerum scientiam, tantum abest, ut perficere queat.

XV. II.

Deinde non sufficit Apostolo τὸ ὅτι, sed addit etiam τὸ διότι & causam istius ἀδωαμίας & ἀγνοίας monstrat. Idcirco inquit homo animalis non percipit spiritualia: quia κριτήρια spiritualia ei desunt. Nam omnis scientia ex praecognitis quibusdam & principiis ac criteriis nascitur. Iam vero homo animalis est terrenus & destituitur κριτηρίοις πνευματικοῖς: spiritualia autem tantum spiritualiter ex principiis spiritualibus cognoscuntur & dijudicantur. Ergo mirum non est hominem animale non posse spiritualium scientiam sibi comparare cum nullam πρόγνωσιν adferat & nulla κριτήρια habeat, secundum quae illam dijudicet, cumque eius praecognita sint mundana, quibus divina sapientia videtur mera stultitia.

XVIII.

His similia passim occurrunt scripturarum testimonia, quae prorsus omnem facultatem humanis viribus adimunt: 1. Corinth. 1. 21. Quia in Dei sapientia non agnovit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. Hic quoque sapientibus mundi tribuitur non modo ἀγνοία & inscitia rerum diuinarum, sed etiam fastidium, quo diuinam sapientiam pro stultitia sunt criminati.

XIX.

Ephes. 4. gentibus non renatis assignat μεταότλητα τῶ νοῦς vanitatem mentis, & σκοτισμὸν τῆς διανοίας excæcationem intellectus, & quod sint alienae à Deo, & quod mera laborent inscitia, & quod corda habeant obdurata, quodque omnem sensum perdiderint, unde lascivia & omnis generis libido & avaritia eruperit.

XX.

Saluator ipse Matth. 13. affirmat Iudaeos apertis oculis caecutire & non videre, auribus ad audiendum datis non audire, Quod si populo Dei evenit, quanto magis aliis, qui nec legem habuerunt, nec circumcisi fuerunt?

Et

XXI.

Et hinc est, quod sacra scriptura hominem naturalem in rebus diuinis tenebras vocat : Nam cum Filius Dei ab exordio mundi vsque veluti lux quaedam accensa in mundo luxerit, per patriarchas & prophetas patefacto Euangelio, tenebrae illam lucem non apprehenderunt. Ioh. 1.

XXII.

Hoc de mentis deuastatione, quae lapsum consecuta est; iam in reliquis viribus an ne aliquid superest? tantundem. Nam voluntas & totum illud ὀρεκτικόν, δυναμικόν & ἐπιθυμητικόν tanta laborat ἀδυναμία & imbecillitate, vt Paulus asseueret: omnes à praeceptis Dei descivisse, & ne vnum quidem superesse, qui à peccatis sit immunis, Rom. 3. 10. &c.

XXIII.

Ac ne quis istud de legis impletione deq; perfecta obedientia solummodo dictum existimet, interim vero aptitudinem quandam in nobis latere arbitretur, qua nos quomodoque ad obedientiam Deo praestandam applicare possimus, idcirco idem Apostolus ipsam habilitarem & aptitudinem è fundamento prorsus euerit. 2. Cor. 3. 5. Non sumus idonei ex nobis cogitare quidquam veluti ex nobis, sed aptitudo nostra à Deo est. Tria sunt in hominis intellectu quae externam actionem antecedunt. Primum est λόγος ipse seu τὸ λογιστικόν intellectus essentia; cui inest κανόντης & aptitudo seu ἀγχινοία ad ratiocinandum promptitudo & celeritas: inde emergit τὸ λογίζεσθαι seu λογισμὸς, quando actu ratiocinamur, quae cum praecesserunt tum deniq; πρᾶξις erumpit. Iam si Apostolus diceret omnes nostras πράξεις esse vitiosas, relinqueretur nobis aliquid internarum virium: sed ille vno pronunciatō & aptitudinem ratiocinandi & ratiocinationem in rebus spiritualibus adimit, vt nihil praeter rationis essentiam & naturam, eamq; omnibus viribus corruptam reliquum faciat.

XXIV.

Quod ad Philipp. 2. 13. quoq; inculcatur: Deum esse, qui perficiat in nobis velle & perficere: Et Saluator Ioh. 15. 5. Sine me nihil potestis facere.

XXV.

Ac ne languorem solummodo virium humanarum accusari arbitremur, scriptura hominem in spiritualibus νεκρὸν

B mor

mortuam subinde appellat, Eph. 2. 5. Col. 2. 13. Quemadmodum igitur corporaliter mortuus se ipsum in vitam reducere & aliquid agere non potest; Ita spiritualiter mortui ad res spirituales sese excitare nequeunt.

XXVI.

Quæ cum ita clarè nobis à scriptura ob oculos sint proposita, debemus utiq; infirmitatè nostram agnoscere, neq; nostris viribus, quas nullas esse Deus pronunciauit, qui nobis ipsis nos longe melius nouit, quicquam tribuere.

XXVII.

Sed potius in nos descendere, & id facere, quod omnes sancti Dei faciunt, ut diuinum auxilium imploremus; Sicut in Psalmis hinc inde & potissimum Ps. 118. David suo exemplo monstrauit; Paulus autem in Exordijs epistolarum; Eph. 1. 16. Phil. 1. 4. Col. 1. 9.

XXVIII.

Neq; enim idcirco infirmitas nostra nobis inculcatur, ut ad studium verbi diuini negligentiores reddamur, aut illud omnino abijciamus. Sed ut primò omnium Deo gratias agamus, quod nos à potestate tenebrarum eripuit; deinde ut assiduis precibus instemus, ut opus bonum, quod in nobis inchoauit, ad nominis sui gloriam perficiat.

XXIX. *altera demonstratio.*

Haecenus ἀπόφασις & ἐγκρισις καὶ ἐνδεῖα liberi arbitrij ex virium defectu probata est, quam scriptura nobis ob oculos ponit. Nunc altera demonstratio è pugna & inimicitia nostræ Carnis cum Spiritu Dei petitur, quæ sic habet.

XXX.

Vbicunq; est auersio & inimicitia repugnans Spiritui sancto & Voluntati diuinæ, ibi non potest esse consensus & conspiratio cum Deo, quatenus adhuc fremitus aduersus Deum gliscit.

XXXI.

Sed in mente & voluntate hominis nondum conuersi est fremitus & inimicitia aduersus Deum, Ergo impossibile est, ut durante hac voluntatis diuinæ repugnantia homo seipsum ad arbitrium Dei componat.

XXXII.

Istud argumentum disertis scripturarum testimonijs prolixè probari

probari posset, nisi pauca sufficerent. Nā Deus Gen. 6. & 8. vt in proxima explicatum disputatione est, grauissime queritur, quod cor & omne figmentum cogitationum cordis humani tantūmodo malum & malitiosè perversum sit: & Spiritui sancto audaci per-
vicacia vsq; adeo reluctetur, vt Deus ibidem iuret, se non amplius suo sancto spiritu per patriarchas & Noam iustitiæ præ-
conem cum petulantissima hominum colluie litigaturum.

XXXIII.

Et Ieremias 17. Cor hominis est דָּבָר fraudulentum cum audacia, quod perpetuo dolos commiscitur, quibus Deo illudat & hominibus imponat: וְיָנִי in rebus aduersis desperatione & diffidentia, nec non fremitu aduersus Deum plenissimum: Id quod Israëlitæ in deserto comprobarunt.

XXXIV.

Paulus Rom. 7. & 8. eam sententiam interpretatus est, vbi spirituales istam pugnam describens duos inter se duces committit planè contrarios; vnus est νόμος τῆς ἁμαρτίας lex peccati, quæ habitat in carne nostra: alter est νόμος τῆς νοῦς lex mentis regeneratæ: Ille in consilijs habet τὸ φρόνημα σαρκὸς prudentiam carnis, hic τὸ φρόνημα τῆς πνεύματος: illius autor & instigator est diabolus, huius autem τὸ πνεῦμα ἁγίου Spiritus Christi: hic sibi propositam habet τὴν δικαιοσύνην δεῦρ iustitiam Deo conformem & ipsi placentem: item ὑποθήσασθαι filialem in Deo fiduciam: illius est ἔχθρα ἐνς δεῦρ fremitus aduersus Deum & nolle subijci Deo, imo ne posse quidem: a illius exitus tandem est θάνατος mors temporalis & æterna, huius autem ζωὴν vitam æterna.

a) Seruilis
metus &
fuga Dei.

XXXV.

Quod si vero D. Paulus vas electum Dei & cum eo omnes sancti & regenerati libenter fatentur istud horribile carnis & mentis dissidium quid de illis, qui nondum renati sunt, statuendum censemus?

XXXVI.

Atq; hinc est, quod sacra scriptura cor hominis nondum renati duro lapidi & adamanti, Ez. 36. 26. Zach. 7. 12. rudi trunco, feræ & limo quandoq; comparat.

XXXVII.

Qua loquendi forma D. Lutherus Psalmo nonagesimo in

cap. 6. Osee, in postill. ecclesiastica in die Natiuit. epist. Tit. 3. & Domin. 3. post Epiphan: & alibi non ita vtitur, quod in ciuilibus & externis homo sit truncus & lapis, sed, vt ibidem explicat, quod in spiritualibus cor hominis rudis sit materia, quæ à Spiritu sancto fingenda & reformanda est, tanto deterius lapide & trunco, quanto audacius operationi Spiritus sancti oblectatur. Cum vero per Spiritum sanctum homo illuminatus fuerit, tum demum doctrinæ cœlestis fit capax. Etsi enim ante conuersionem παθητικῆν aderat capacitas, id est, mens conueniens doctrinæ ὑποκειµενον, qua homo à trunco, & lapide & bestia discernitur; tamen quod ενεργητικῶς iam capax est & fit δοχεῖον Spiritus sancti & verbi diuini, id in solidum diuinæ gratiæ ascribendum est,

XXXVIII. Tertia demonstratio.

Vltima deniq; demonstratio suppeditatur, quando scriptura omnem nobis efficacitatem & operandi vim adimit totumq; opus nostræ conuersionis Deo in solidum adscribit; Proinde sic concludimus. Si omnia quæ ad nostram conuersionem, fidem & salutem pertinent a solo Deo & non ex alia vlla causa proficiscuntur, hoc ipso nostrū arbitrium & vniuersa viriū humanarum efficacia negatur. Verū prius. Ergo etiā posterius.

XXXIX.

Quod hoc ita sit, scripturæ infinita loca testantur, ex quibus ista inquirantur: Deu. 29. 4. & 30. 6. Matth. 11. 25. & 13. 14. Ioh. 6. 44. & 15. 2. Phil. 2. 13. Eph. 2. 8. Tit. 3. 5. Psal. 51. 12. 2. Cor. 5. 18. 2. Cor. 3. 5. &c.

CAPUT TERTIUM.

Probatio eiusdem assertionis è libris orthodoxis nostrarum ecclesiarum

Thesis I.

Neq; nunc primum in nostris Ecclesijs ita docetur, sed in maiorum nostrū scriptis et confessionibus eadem doctrina expressa est, id quod paucissimis ostendendum.

II. Augustan. Confessio.

Articulus vicesimus August. Confessionis ita habet: Humanæ vires sine spiritu sancto plenæ sunt impijs affectibus, & sunt

39

sunt imbecilliores, quàm vt bona opera possint efficere coram Deo. Ad hæc sunt in potestate diaboli, qui impellit homines ad varia peccata, ad impias opiniones & manifesta scelera. Quemadmodum est videre in Philosophis, qui et ipsi conati honestè vivere, tamen id non potuerunt efficere, sed contaminati sunt multis manifestis sceleribus.

III. *Apologia.*

Apologia articuli 19. sic loquitur: Neq; vero adimimus humanæ voluntati libertatem. Habet humana voluntas libertatē in operibus & rebus deligendis, quas ratio per se cōprehendit. Potest aliquomodo efficere iustitiam ciuilem, seu iustitiam operum, potest loqui de Deo, exhibere Deo certum cultum externo opere, &c. Illud autem falsum est, non peccare hominem, qui facit opera præceptorum extra gratiam. Et pōtificij addunt amplius, talia opera etiam de congruo mereri remissionem peccatorum ac iustificationem. Nam humana corda sine spiritu sancto sunt sine timore Dei, sine fiducia erga Deum: non credunt se exaudiri, sibi ignosci, se iuuari & seruari à Deo. Igitur sunt impia. Porro arbor mala non potest ferre bonos fructus. Et sine fide impossibile est Deo placere. Igitur etiamsi concedimus libero arbitrio libertatem & facultatem externa opera legis efficiendi, tamen illa spiritualia non tribuimus libero arbitrio, scilicet verè timere Deum, verè credere Deo &c.

IV. *Smalcaldici articuli.*

Ita Smalcaldici articuli capite primo de peccato expressè docent falsum esse si asseratur, hominem habere liberum arbitrium faciendi bonum & omittendi malum. Item: hominem posse naturalibus viribus omnia mandata Dei seruare & facere. Et cap. 3. de pœnitentia sub finem.

V.

Vberior explicatio è maiori catechismo petatur in declaratione tertij articuli symboli. Tom. 3. Viteb. germ. fol. 77. b. & pueri nostri tum in explicatione tertij articuli symboli, tum in interpretatione secundæ petitionis in Oratione Dominica idem nobis inculcant.

VI.

Hæc Lutheri de libero arbitrio sententia est, à qua illum vnquam recessisse nemo est qui dicere audeat. Nā vt alia omitamus, quæ patris & præceptoris nostri in hoc negotio constantiam liquido euincunt. Primum in Confessione Maiore Tom.

2. Viteb. germ. fol. 238. sub finem scripti de hac ipsa re liquido restatur.

Tom. 2. Viteber. lat. f. 421.

VII. *Seruum arbitrium.*
Alterum deinde testimonium suppeditat liber ipsius de seruo arbitrio, quem Erasmo Roterodamo opposuit, in quo egregie & pie, solide & doctè sententiam hanc piam & inuictam esse demonstravit.

Tom. 6. la. Viteberg. parte. 3^o fol. 37.

VIII. *PROPHETIA Lutheri.*
Ac licet aliqui è Calvinianis nonnulla ex illo libro ad stabiliendam suam πεπερωμένην & αἴσρα, absolutam dico necessitatem, detorquere conentur: tamen idem D. Lutherus prophético spiritu hoc illos facturos prædixit & quo pacto eorum Sophismatis occurrendum esset in cap. 26. Gen. iam tū ostendit.

IX.

Hactenus igitur tum ex immoto Dei verbo tum ex orthodoxis nostrorum scriptis demonstratum est, liberi arbitrij in rebus spiritualibus nullam esse efficaciam.

CAPUT QUARTUM.

In quo docetur modus et processus nostræ conversionis et regenerationis.

Thesis I. Propositio.

Iam illud cauendum est, ne aliqui hac sana doctrina vel ad veritatis euerfionē, vel ad consciētias implicandas abuti possint.

II.

Tria enim hominum genera se offerunt, quæ audita hac nostra confessione diaboli impulsu, non nostro instinctu in diuersas partes abeunt. Primum sunt Epicurei, qui omnem religionē ludibrio habent & ita colligunt: Si nihil agitur nostris viribus & operibus coram Deo: Perinde igitur erit si in sceleribus volutemur. Nihil enim plus apud Deum merentur illi, qui vitam castè transigunt. Alij honestiores haberi volunt, qui cum intelligunt in solo Deo repositum esse, vt ad ipsum convertamur, ilicò in angulos sese abdunt & ἐνδρασιασμόνε, id est, arcandis numinis afflatus, violentosq; siue tractus siue raptus aucupantur. Inter vtrosq; incedunt ἐφεκτικοί, qui de gratia Dei suaq; salute perpetuum dubitant, & haud rarò in desperationes ruunt.

Illorum

III.

Illorum contumaciæ capistrum, horum infirmitati medicamentum quærendum erit; vtrumq; vnus suppeditat ὁ τῆς παλιγγενεσίας ἕσπορ, ratio & modus nostræ conuersionis, quem breuitatis studio in sex aphorismos redigemus & perspicuitatis ergo iuxta causarum seriem explicabimus.

IV. Effector & author conuersionis.

1. Efficiens causa conuersionis.

Quando igitur de efficiente causa rogatur, expedita est responsio, quod vnicus sit reparationis nostræ autor Deus: sicut vnice ille nos creauit: ita solus etiã reparat. Neq; sine insigni blasphemia quicquam aliud huic causæ adiungi potest, quod ullam efficacitatem, quoad effectum nostræ παλιγγενεσίας, habeat. Scriptura id luculenter docet: Es: 41. 24. Prou: 20. 24. Rom. 4. 17. Ier. 13. 18. Matth. 16. 17. Ioh: 6. 44. Ioh. 1. 10. 11. 12. Ioh. 3. 5. Luc. 17. 10: 1. Cor. 3. 7. 2. Tim. 4. 7.

V. τὰ ὄργανικὰ πρὸς θεὸν ὑπερ ἡμᾶς.

2. Instrumentalis causa respectu Dei & nostri.

Cum vero Deus sit ignis consumens & nos diuinæ Maiestatis splendorem sustinere non possimus; idcirco Deus per organa & instrumenta nobiscum agit & suum opus in nobis absoluit. Ac proinde cum secunda persona S. Trinitatis, non quidem ex- clusione reliquarum, sed earundem indiuisa cooperatione, videlicet ὁ λόγος ὑποστατικὸς vniuersam prouinciam procurandæ & perficiendæ nostræ salutis sponte in sese suscepit, idcirco tum ratione sui, tum ratione nostri, qui itidem sumus ἕως λογικὰ, λόγον elegit, sed illum κτισθέντα creatum, quo veluti vehiculo se suasquæ cœlestes gratias in nostra corda immitteret, & quo amictus animis nostris sese insinuaret. Verbo proinde vtitur ad animos nostros emolliendos & innouandos. 1. Cor 1. 21. Act. 10. 6. Roman. 10. 17. Ioan. 5. 39. Iohan. 6. 45. Iohan. 17. 17.

VI. Ἀπὸ τοῦ ἔθνους.

3.

Verbum autem Deus pro sua immensa bonitate, vtriq; τῷ γνωστικῷ in nobis accommodare voluit. Ideoq; mēti adhibet vniuersalē & τὴν καθόλου Euangelij & promissionū diuinarum prædicationem, quam potestas clauium ad singulos transfert: Sensibus externis suppeditat Sacramenta Baptismi & cœnæ domi-



dominicæ, per quæ cuilibet καθ' ἑαυτὸν semetipsum cum omni-
bus suis beneficiis offert & carne sua humana viuificatrice, ac san-
guine suo humano ζωοποιῶν omnes homines reparare & viuifi-
care cupit. Illud itaq; verbum sit ἀκροῦν κηνοῦν, hoc ἀδιδῆτον
καὶ ὄρατόν

VIII. τὰ ὀργανικὰ ἐφ' ἡμῶν

4. Verbum itaq; Deus ex sua parte ad nostram rege-
nerationem, cui à nostra parte, tanquam correlatum, ausculta-
tio & meditatio verbi necessario respondet. Potest autem ho-
mo etiam non renatus verbum audire, ex illa omnibus reliqua
disceudi cupiditate: & hæc auscultatio est medium seu instru-
mentum respectu nostri. Rom. 10. 16. Ioan. 12. 20. Act. 17. Rom.
7. 18. Prou. 18. 1. & 9. Act. 8. 3. Rom. 10. 15. Ioh. 6. 44. Gen. 4. 7.
sed neq; qui plantat, concionator, neq; qui currit, auditor, quic-
quam est, soli Deo debetur gloria, qui dat incrementum, 1. Cor.
3. 7. Luc. 17. 10. Es. 64. 6. Rom. 9. 16.

IX. τὸ ὑποκείμενον παθητικόν.

5. *Materialis
& subie-
ctum.*

Proinde voluntas nostra respectu conuersionis nullo modo
potest in numero causarum consicientium poni. Non enim po-
test velle sui conuersionem, fidem in Deum & reliqua Deo pla-
centia, sed quicquid vult, carnale est, & altius non assurgit, quam
quod ita accedit ad auscultationem verbi, vt doctior & melior
fiat, iuxta sapientiam huius seculi. Vnde sequitur vo-
luntatem hominis in conuersione subiectum esse, in quod agit
Spiritus sanctus per verbum: subiectum non quidem ἀλογον &
ἄψυχον, sed in rebus diuinis ἀχρηστον & ἄεργον, vt monstratum
est, lapide & trunco nobiliter, quia ratione præditum, sed & pe-
ius, quia ex sese solummodo reluctari potest, non assentiri. Si
enim assentiretur cor hominis, conuersum vtiq; esset antequam
conuertatur.

X. ὁποῖά ποτε τὰ θεῶν ἐνεργήματα.

6. *Formalis
causa con-
uersionis.*

Agit autē Deus per verbum non βιάσας, sed trahit, & ita trahit,
vt ex intellectu cæco illuminat⁹ fiat intellectus, & ex rebelli vo-
luntate fiat prompta & obœdiens voluntas, & hoc ipsum scriptura
vocat, NOVVM COR CREARE: quod antequam à Deo
innouetur, nouum esse nequit, esset autem, si in sui conuersione
vel minimum operaretur. Ioh. 6. 44.

XI. *Effecta & ἐπόμενα conuersionis.*

Quæ cum præcesserunt, tum demum effectus sequuntur longè
pulcer-

499
pulcerrimi: 1. quod homo vult bonum: siquidem à Spiritu Dei Rom 7.
agitur. 2. lege Dei delectatur: 5. & sponte bonum operatur: &
4. cum carne collucatur. Tunc igitur quamprimum Spiritus san-
ctus opus suum regenerationis inchoavit, vi & efficacia Spiritus
sancti, vt iam liberati cooperari Spiritui sancto incipimus, non
ante: neq; ex nobis, sed vt iam moti, tracti, & à peccati morte
in vitam reducti.

XII.

Atq; hic est modus nostræ reparationis, quo Epicurei reprimuntur, siquidem audiunt, verbum Dei discendum esse: Enthusiastræ quoq; retunduntur, siquidem Deo placet nō ἀμέσως neq; εὐαίτως, sed ἐμμέσως auscultatione verbi trahere & convertere. Fluctuantes ex ipso verbo & vniuersalibus Dei promissionibus nec non singulari applicatione, quæ fit in sacramentis, eiq; nouis motibus à Spiritu sancto excitatis certitudinem omni dubitatione firmiorem concipere possunt.

CAPUT QUINTUM.

Anathematismi falsarum opinionum.

Thesis I.

Iam facile est ex hac vera doctrina omnes opiniones falsas redarguere, quas in duas classes tribuemus.

II.

Primum enim in determinandis viribus humanæ voluntatis falsæ iactantur opiniones prorsus repugnantes.

III.

Nam Stoici & Manichæi omnem ex natura & viribus humanis libertatem & contingentiam sustulerunt, omniaq; necessario fieri asseruerunt: atq; ita ne in civilibus quidem vel in sceleribus perpetrandis homini facultatem vllam reliquerunt. Quam opinionem Calviniani, vt alibi monstratū, suam faciunt.

IV.

His ex diametro repugnant Pelagiani, qui liberi arbitrij vires eo vsq; extendunt, vt hominem quoq; suis naturalibus viribus sese ad Deum convertere posse asserant.

C

Pela-

V.

Pelagiana assertio mutato habitu gemina facie in scenam redit. Nam Synergistæ fingunt hominem in spiritualibus ad bonum non prorsus esse mortuum, sed tantum graviter vulneratum & semimortuum: Initium quidem conversionis facere non posse: vocanti autem Spiritui sancto suis naturalibus viribus occurrere, & aliquo modo suam conversionem adiuvare.

VI.

Pontificij & monachi docent, quod homo naturalibus viribus sese applicare ad gratiam possit, & quod adiutus à Spiritu sancto perfecte legem Dei implere & ita vitam æternam mereri queat.

VII.

Hæc una est classis errantium in determinandis nostris viribus quo ad conversionem. Altera classis eorum est, quæ causas conversionis confundit & maximè circa organicas hallucinatur.

VIII.

Nam Enthusiastæ, vt antea dictum, omnia media verbum & sacramenta averfantur.

IX.

Sunt etiam qui in causa materiali & subiecto non leviter impingunt. Nam cor novum interpretantur, quod ipsa τὸ ἰσχυρὸν sit creatum vetere in nihilum redacto: cum novum ratione novorum motuum dici demonstratum sit.

X.

Alij tempora & status non discernunt & statuunt hominis voluntatem æquè post conversionem & in ipsa cōversione ac ante conversionem Spiritui sancto repugnare.

XI.

Vehementer in scholis iuventutem turbavit & adhuc turbat illa in Locis Philippi Melanthonis, quam multi licet falsam esse sciant, tamen contra conscientiam tueri non dubitant, sententia de tribus causis conversionis. Quod nimirum in conversione nostri concurrant tres causæ bonæ actionis: Spiritus sanctus, verbum & voluntas humana. Nam quod adducunt sententiam Iohan. 6. 45, nimis puerile est, : cum ibi τὸ ἀκούειν & μὴ θέλειν causa con-

*Philippus
de libero
arbitrio,
in L.C.f.
92.*

42
sa conversionis nequaquam nominetur, & sola Dei ελκυσις tra- NB.
ctio sufficiens & plenaria conversionis nostrae causa decernatur.
Pontificatui non fenestram sed portas bipatenres haec aperiunt,
vt & illa ibidem in Locis adscripta Basilij, Chrysofomi & scho-
lasticorum dicta: & paulo post plane pontificia sententiarum
scripturae Ier. 10. 23. Iohan. 3. 27. depravatio.

XII.

Has omnes opiniones vt falsas & impias improbamus & in
ecclesia non tolerandas esse statuimus.

FINIS.

AUGUSTINUS LIBRO II. DE PEC-
catorum meritis & remis. cap. 5.

Ad peccandum non adiuuamur à Deo:
justè autem agere, vel iustitia præceptis
omni ex parte implere non possumus,
nisi adiuuemur à Deo. Sicut enim corporis ocu-
lus non adiuuatur à luce, vt ab eadem luce clausus
aversus ve discedat, vt autem videat adiuuatur
ab ea, neq; hoc omnino, nisi illa adiuverit, potest.
Ita Deus qui lux est hominis interioris, adiuuat
nostram mentis obtutum, vt non secundum nostram,
sed secundum eius iustitiam boni aliquid opere-
mur. Si autem ab illo reuertimur, nostrum est,
& tunc secundum carnem sapimus. Conuersos
ergo Deus adiuuat, a versos deserit, sed etiam vt
conuertantur ipse adiuuat.

Na.


in conversione nequaquam contingit, & sola Dei gratia
est inchoata & persequitur, & sic non est causa deest
Poenitentia non est inchoata, sed potius potest dici
ut & illa ibidem in locis adscriptis Basilii, Chrysostomus
habetur dicit: & paulo post plane poenitentia
scriptura legitur: Joh. 1. 27. de baptismo. & sic
X. II. de poenitentia & gratia

Has omnes opiniones ut falsas & iniquas improbamus & in
ecclesia non referendas esse statuimus.

FINIS

AUGUSTINI LIBRO II. DE REC.

colorum mentis & sensus. cap. 7.

 peccandum non adiuvatur a Deo.
Iste autem agere, vel iustitiam precipit
omni ex parte implere non possunt.
non adiuvatur a Deo. dicit enim corpus con-
tra non adiuvatur a luce, ut ab eadem luce claritas
avertere desinat, ut autem videtur adiuvatur
ab ea, non hoc omnino, nisi illa adiuvaret, potest.
Ita Deus qui lux est hominis in errore, adiuvatur
nostre mentis obtinere, ut non recedat nostram,
sed secundum eam iustitiam boni aliquid opere-
mur. Si autem ab illa recedat, nostrum est.
Ergo Deus adiuvatur, ut error desinat, sed cum
conversatur ipse adiuvatur.



AB

50A $\frac{2}{h, 12}$


ULB Halle 3
003 485 560



Sch

Rest.
Sep./Okt 84 Schuss.





8

19

18

17

16

15

14

13

12

11

10

9

8

7

6

5

4

3

2

1

Centimetres

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

33

4

SACRATISSIMO
 CHRISTIANÆ
 CORDIÆ
 TIO QVART A

libero arbitrio.
 DE CAPITV M.
 de taminiis de libero arbitrio
 tra pro negativa liberi arbitrij in spiritua-
 gatiua ex nostrarum Ecclesiarum scriptis
 tatur ad Deum
 e lib. arb. rejectio.

Habita
 SNERO S. THEOLOGIAE
 ore in Academia Vitebergensi
 spondente
 PHILIPPO HEILBRVN-
 o, Lauincano
 tembris Anno 1593.



VITEBERGÆ,
 G. Georgij Mullerj,
 M. D. XCIII.

